



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conferentiæ Theologico Morales

Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum
Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum,
Confessariorúmque omnium

Ex Materia Septem Sacramentorum Atque Justitiæ De Restitutione
Excerptæ

Sargar, Eliseus

Augustæ Vindelicorum, 1720

An ad restitutionem faciendam requiratur culpa theologica. n. 404.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41194

etiam restitutio, quia non detinere rem, est
eam restituere.

CONFIDENTIA. II.

403

Quia secundum *Scotum* 4. d. 15. q. 2. qui-
unque abstulit, vel detinet alienum, te-
netur ad restitutionem, ille quidem ex titulo
injustæ acceptionis, hic autem ex titulo rei
acceptæ: quæri potest, quale sit inter has
duas causas restitutionis faciendæ discrimen.

R. Magnum discrimen esse: qui enim ob-
ligatur ex *injusta acceptione* aut damnificatione
ad restitutionem rei, tenetur eam reddere, etiam
cum perierit extra ejus culpam, & ad damnum
inde secutum: quando vero debetur res *ratio-
ne rei acceptæ tantum*, non manet obligatio, re
absque nostra culpa pereunte, aut non amp-
lius extante, nisi in quantum ex ea ditiores
facti sumus. Ita *DDes communiter*, ut ex
seqq. magis patebit. Porro qualis culpa
intervenire debeat, ut quis teneatur ad
restitutionem rei deperditæ vel destructæ,
sic.

CONFIDENTIA. III.

Quia culpa alia est *Theologica*, seu actio aut
missio deliberata contra dictamen rectæ
rationis quatenus est offensa Dei: alia
juridica, quæ secundum leges præsumitur esse 404.
talis; quando scilicet aliquis ex consideratio-
ne, incuria, vel negligentia omittit id quod

R 5

alio

alioquin faciendum est, ex quo sequitur damnum proximo : quæritur in proposito, an ad restitutionem faciendam ex culpa, requiratur culpa Theologica, quæ sit peccatum ; an verò sufficiat culpa iuridica, levis, vel etiam levissima.

405. RESOLUTIO prima : Nemo tenetur sub peccato mortali rem injustè destructam restituere, nisi ablatio vel destructio fuerit peccatum mortale. Ita Less. L. 2. c. 7. n. 9. & alii.

Ratio est : quia quando in damno injustè illato committitur culpa venialis tantum, tunc actus in ratione injuriæ non est perfectus : ergo non inducit obligationem perfectam, quæ astringat sub mortali : patet consequ. quia obligatio compensandi damnum non potest esse major in suo genere, quam ut injuria, ex qua nascitur. Unde qui alterum graviter credit (vel etiam occidit) ex motu primo, vel secundo primo, ab restitutionem sub mortali, vel omnino non tenetur; quia vel nullum, vel solum venialem culpam Theologicam admisit.

RESOLUTIO secunda : Nemo tenetur in conscientia ad restitutionem ex delicto, quod non concomitatur iniustitia, quæ sit culpa Theologica : non obstante culpâ iuridicâ quantumvis latâ, nisi ex contractu sese ad eam obligaverit. Communis ex PAUC. d. 52. q. 2. & Henric. d. 5. q. 3.

Ratio est : quia hæc obligatio debet esse